

D. AUGUSTINI THONERI, COLLEGII
MEDICI REIP. ULMENSIS DIRECTORIS
ac Senioris, & Gymnasii Scholarchæ

CONSULTATIONES
MEDICINALES.
LIBER QUINTUS.

CONSULTAT. I.

Concernit Illustriss. ac Celsiss. Principem ac Dominum, Dn. Friedericum Ernestum, Marchionem Badensem variis Symptomatis obnoxium, de stillatione a capite in articulos, pedum tumore adematoso.

Illustriss. ac Celsiss. clarissimissimeque Dn. Dn. Princeps, T. C. tam vario ac multiplici symptomatum genere constricta tenetur, ut à quo exordium sumendum, quæ tot malorum scaturigò statuenda, hand facili negotio declarari posse videatur. Veruntamen ut affectuum, quibus T. C. infestatur, causas investigare liceat, summam præcipua ob oculos ponam symptomata, quæ mihi viam, ad ipsum tot pathematum fontem, perveniendi monstrare, & quasi manu deducere valeant.

In chartâ consignatâ & mihi per

T. C. Secretarium ad dijudicandum oblata; refertur T. C. laborare dolore capitis per certa intervalla fluctante: destillatione magnâ copîa & impetu quodam in omnes articulos pedum imprimis irruente frigida materiâ constante: convulsione rariùs molestante: ulceribus pedes defædari, seroso, salso & acrichore manantibus inflammationem ac dolorem concitantibus. Hisce copulari ventriculum nauseabundum, cruditatibus obnoxium, exinhalitus graveolentes, jejuno imprimis stomacho provenire. Hæc existit *evidens* symptomatum T. C. molestiam exhibentium. Quia verò ob-

Ff 3

liquum

liquum deprehendi ac cognosci non potest, nisi per rectum idcirco ipsa necessitas efflagitat, ut naturalem T. C. corporis constitutionem & temperaturam partium principalium omnium cognitam habeam ac exploratam, siquidem tot malorum fontem, eorumque causas indagare & curandi methodum demonstrare debeam. Etenim omnis Medici intentio ad eum scopum debet esse directa, ut membra principalia ad *invegiat* ac naturalem temperiem revocentur, quod fieri nulla ratione potest, nisi compertum sit, quantum viscera interna, à medio tramite recesserint. Obtingit T. C. complexio sanguineo phlegmatica, cum à primâ statim pueritiâ pedes ædematosi apparuerint, cerebrum frigidâ affectum *du* & catharris obnoxium materiâ frigidâ constantibus: eor calidius prodit animi excandescencia ex leviori irritamento: Epar calidius innotescit, ex salis deultis humoribus ulcera concitantibus: ventriculum justo frigidiorum arguit, diminuta assumptorum concetio & cruditates. Cum igitur ad legitimam curationem cognitio causarum morbificarum, multum momenti conferat, eas investigare expedit. Tres sunt in corpore humano partes Principes à Medicis dictæ, (quod velut Principes in corpore dominantur, cæterisque membris, *omnem* *frigidi* vim ac facultatem

communicent ac subministrent,) nempe cerebrum, cor & Epar, quibus etiam ventriculus subserviens adjungendus, quæ si sint temperata, vel à mediocritate parum recedant, omnes actiones animales, vitales & naturales, probè ac inculpatè perficiuntur, homo sanus degit, omniaque munia à Natura commissa ac concedita, dextrè administrare valet. Sin verò illæ partes ab *invegiat* ad ullam insigniorem deflexerint in temperiem, ac desciverint (omne namque Regnum in se divisum desolat) omnis generis morbos producere solent. Hæc cum ita sese habeant, nunc erit dispiciendum, quænam partes in T. C. corpore sint læsæ, ut tam varia ac sæva pullularint symptomata. Sum in eâ sententiâ tria esse membra, quæ tam multiplices concitare solent affectus, cerebrum (quod præcipuorum Lerna malorum) Ventriculum & Epar, Cum T. C. propter singularem prudentiam celebretur, quæ in frigido cerebro vix residere posse viderur, cum qui frigida dotati cerebri in temperie, hebetioris ingenii, se-gnes, somnolenti, stupidi, ad laudabiles res peragendas, inepti: ast cum materiâ è capite dimanans ac depluens, actu frigida percipiatur, haud hæritandum, cerebrum frigidum, non quidem à Naturâ, obtingisse: sed progressu temporis, propter inordinatam victus rationem, meracioris vi-

ni in

in in copiâ hauſti, in primis autem ex
 aſſumpſione pilularum Mercuria-
 lium & unguentis itidem ex hydrar-
 gyro concinnatis, ad depellendam
 podagram, à quodam Alchymiſtâ
 adminiſtratis, tale evaſiſſe. Prout
 etiam Joh. Fernelius, trium Regum
 Francorum Archiater, refert multos
 argento vivo inunctos cerebro ejus
 vi narcoticâ refrigerato, in immedi-
 cabiles poſt deſtillationes, inciſiſſe.
 Cerebrum igitur frigidius, cum ali-
 mentum à Natura ſibi demanda-
 tum, aſſimilare nequeat, exin ma-
 gnus emergit excrementiorum hu-
 morum proventus, qui cum ſint ad
 nutritionem inepti, tum quantitate,
 tum qualitate irritant facultatem ex-
 pultricem, ad id quod moleſtiam ex-
 hibet abigendum, quæ noxiam ma-
 teriam eò uſque perſequitur, dum
 ad partes ignobiliores fuerint ab-
 jectæ. Membra namque principalia
 ſi validiora, vitioſos humores ad ex-
 timas partes deponunt, haud ſecus,
 ac in Republicâ, quicquid delirant
 Reges, plectuntur Achivi: ita in po-
 litia humanâ, ſi cerebrum, Venti-
 culus & Epar diſſideant, ſuâ craſi
 non reſpondeant, ac conveniant,
 quicquid mali collectum, in extre-
 mas partes ſolent exonerare. Exin
 cum T. C. ab Illuſtris. Dn. Paren-
 tibus imbecilliores pedes, hæredita-
 riò ſortita ſit, & articulos debiliores
 & laxos, ut excrementa aliunde af-
 fluentia ac tranſmiſſa, ſpongiarum

inſtar, facilè imbibant ac ſuſpiciant,
 nihil miri, ſi T. C. arthriticis dolori-
 bus & pedum tumore œdematoſo
 moleſtetur, cum alias iſtæ partes
 tum ſuapte Naturâ frigidiores, quia
 exanguis, tum quod à foco caloris,
 corde ſcilicet, procul diſtent, hinc
 ex defectu caloris, materiam impa-
 ctam ægrè poſſunt reſolvere. Cum
 venter etiam juſto ſit frigidior,
 ut ingeſta alimenta probè conco-
 quere nequeat, exin multæ reſultent
 cruditates, (quæ ſeminarium & Ma-
 ter oranium morborum) quæ ad os
 illius delatæ, naufeam concitant: à
 calore non naturali tentatæ, dum
 corrumpuntur, oris halitum puti-
 dum reddunt: quin exin exſpirantes
 vapores, ad cerebri meninges per-
 tingentes, capitis dolorem concit-
 ant. Suâ autem malignitate & qua-
 litate vitriolatâ, nervoſas ac ſenſiles
 partes ferientes, & facultatem ex-
 pultricem extimulantes ad rem ini-
 micam abigendam, convulſionem
 epilepticam proritant. Ex chylo in
 ventriculo haud benè elaborato, at
 crudo relicto, per venas meſeraicas
 ad Epar attracto, non poteſt ſanguis
 laudabilis progenerari, cum à priva-
 tione ad habitum non detur regres-
 ſus, nec vitia prioris concoctionis à
 poſteriori emendari queant, proin
 Epar calidius à Natura, magis pro-
 pter obſtructiones à crudiore chylo
 concitatas, efferveſcens, aduſtos ac
 falſos procreat humores, qui ob re-
 ſtitu-

Etitudinem ad pedes defluentes, suâ acrimoniâ rodendo exulcerant.

Hiscæ prælibatis, nunc dispiciendum, utrum spes concipienda, de recuperandâ valetudine. Cum magna sit symptomatum colluvies multorum annorum spacio perdurans, ut profundas radices egisse, proin haud facili manu, extirpari posse, videatur: attamen non est desperandum, quin si & accommodata adhibeantur remedia, & exacta victus ratio observetur, pleraque symptomata si non penitus averruncari, saltem mitigari & retardari queant.

Dehinc me convertito ad ipsam curandi Methodum. Siquidem T. C. in integrum restitui desideret, necessum erit, ut cuique visceri, sua naturalis temperatura restituatur, cerebrum & ventriculus calefacienda & exiccanda, Epar contemperandum: quæ commodè fieri non possunt, nisi prius excrementitii humores pituitosi & serosi cum bile mixti expurgentur, nec hi cum sint crassi & lenti, trahenti Pharmaco cedent, nisi crassities incidatur, lentior abstergatur, obstructions referentur, & ita ante purgationem, juxta aphor. Hippocr. corpora fluida facere oportet. Testatur namque experientia, corpora sic preparata à leviori purgatione plus evacuari, idque citra molestiam, quam à multo vehementiori solvantur cruda.

Ergò primò alvus erit lenianda,

post humores vitiosi preparandi & educendi, tandem viscera interna pravos humores generantia, corrigenda. Ut autem accedam ad ipsa auxiliorum genera, ea triplicia à Medicis proponuntur dietetica, chirurgica & pharmaceutica.

Quoad victus rationem sex res non naturales dictæ erunt observanda. Aër sit calidior ad siccum vergens. Suffitus parandus ex styra-ce calam. suc. al. thure, mast. lig. alo. Potus sit vinum Neccar. vel Rhen. vel medicatum ex beton. absinth. rom. Iva arthet. chinâ & lign. sanct. Cibi eligendi facili concoctionis & boni succi, nec unâ vice plura ferula ingerenda, aliâs juxta aphor. Hippocr. Impura corpora, quo plus nutrities, eo magis lædes. Quemadmodum enim parum fermenti totam massam corrumpit: ita, vitiosi humores, in T. C. internis visceribus hærentes, etiam probum alimentum depravant. Somnus ne modum excedat. Alvus quotidie sua excrementa deponat, si sponte sum officium non faciat, sollicitanda erit remediis, vel clymate emolliente ex brodio Gallinæ, cum vitell. ov. ol. amygdul. & sac. rub: addito cremore tartari, vel pruna, aut zibeb. laxat, cum fol. sen. & syr. ros. sol. præp. vel pulve passul. vel prunorum cum Mannâ.

Quotidie T. C. matutino imprimis tempore se exerceat, ut calor naturalis excitatus, referatis poris seu meati-

meatibus cutis, fumida & serosa excrementa rejiciat. Venus raro excrecenda, quia una cum feminis excretionibus & calor naturalis cum spiritibus vitalibus exhalat, humidum radiale consumitur, vires prosterminantur: exin Avicenna, Medicus Arabs, literis mandare non dubitavit: unica feminis ejaculatione vires magis resolvi quam si quadragies tantundem sanguinis emitteretur. Animi pathemata graviora à T.C. exulent, ab irâ, tristitiâ & curis superfluis sibi temperat: ab illâ, cum sit effervescentiâ ac ebullitio sanguinis circa cor, totum corpus succenditur, exin humores delitescentes liquefiunt, & fluxiles redditi ad varias partes ruunt ac delabuntur: ab his humidum cordis substantificum exiccatur, hinc totius tabes consequitur.

Quoad Chirurgica, probo fontanelam in brachio sinistro & crure dextro, ad humores serosos avertendos.

Quoad Pharmaceutica. Primò alvus erit lenienda cum mell. ros. fol. & Mann. calabr. diss. in dec. coimm. lenit, cum fol. sen.

Post humores preparandi & obstructions aperiendæ cum cristall. Tart. vitr. magist. corall. & marg. sal. abs. cum juic. pulli. Postmodum humores vitiosi eliminandi cum infus. fol. sen. agar. rec. tro. & Rhab. in aq. beton. ad. aliquot gutt. sp. vitr. recat. In col. dil. mel. ros. iol. &

Mann. Si magis attrideret forma pilularis, probarem Extr. pil. coch. aur. sin. quibus & Panchymag. Crollii.

Corpore mundificato, cerebrum à pituitosis humoribus depurandum, attracto pul. Nicoti. cum fl. lil. conval. & major. præp. ad. nonnihil moschi.

Ad cerebrum corroborandum confect. ex sp. diambri, diamof. dul. diaplir. cum mos. suc. al. & conf. alker. Ceratum capitale præcellens, super sutura coron. gest. ex ladano, styr. calam. mast. & ambrâ ori. cum resinâ in vino diss. f. cer. ext. aluta. Ventriculo etiam cõsulendum. Probarem pul. pepticum, à cibo sumendum ex cort. præp. cum sp. aromat. ros. diaxyl. mag. coral. & marg. cum l. q. sac. f. Trag. Cer. stom. ex Gumm. Ladani & Tacam.

Ad cuncta symptomata propulsanda, decoctum ligni sancti ad china primatum habere videtur, si primas, secundas & tertias qualitates respiciamus quia cum calidum & siccum, intemperiem cerebri & ventriculi frigidiorum emendabit, cura acre, amarum, humores incidet, attenuabit, aperiet, eosque visua hydroticâ & diaphoreticâ per sudores & habitum corporis ejiciet: & cum levem habeat adstrictionem, omnia membra confortando, robor ac vires restituere, vel illius loco posset preparari destillatum ex ligno sancto, China, sarl. parill. herbis capitalibus & antipodagricis,

Gg

Hac

Hæc Illustris. ac Celsis. & clementis. Dn. Princeps, T. C. obsecundans petitioni, eò prolixius proposui, cum mihi haud ignotum, T. C. rerum medicarum haud vulgarem habere cognitionem atq; scientiam, de iisdem cum Medicis con-

ferre animo libenti, & haud leve exin capere oblectamentum. Faxit Deus Opt. Max. ut T. C. ex proposito, aliquid opis ac levaminis, percipere valeat, id demissum ac præcandidum meum est votum.

CONSULTAT. II.

Attingit Illust. Dn. Dn. Christophorum Trucksesium, L. B. qui ex amissâ memoriâ, ut sui nominis oblitus, aliquot septimanarum spacio post secuta paralyss, cui successit apoplexia, qua illustris ager sublatus.

Illustris ac Generosus Dn. Christophorus Trucksesius, L. B. jur Scheer/ jam sexagenarius à Naturâ doratus sat procerâ, eleganti, Heroicâ & benè proportionatâ staturâ corpore *irragus* & membris robustis, in facie color vividus ad rubedinem moderatam inclinans, conspicuus, exin apparet, quod à prædominio sanguineæ complexionis, à subdominio melancholicæ, ob præstantiam intellectus: Epar ad calidam vergit intemperiem: cor obtigit calidius, cum ad iracundiam propensus, pulsus validus, in ventriculo nullus deprehenditur defectus, tam in appetendo, quam concoquendo cibo, exin conjiciendum, quod rectè temperatus: cerebrum obvenit calidius in activis, ex accidenti autem humidû, à vaporib⁹ ex subjectis par-

tibus, inprimis ex calidioris Epatis constitutione, expirantibus, ibidem coagulatis ac condensatis. Cum igitur Ill. Dn. à Natura sat temperatam complexionem accepit, à juventute (etsi antehac in cibo & potu sat largos excessus commiserit) sat commodâ usus valetudine, nullis peculiaribus morbis obnoxius ac subiectus, nî quod paucis ab hinc annis, interdum à podagrâ & catarrhis molestatus. Ante biennium etiam serpigo in brachio dextro effloruit, jam autem evanuit, quories cutè denuò exedit, (quasi Natura exin velut fontanella mundificanda) melior successit fanitas: quin & intra biennium podagra non reversa, & à destillationibus immunis. Cum ante mensëm, à vehementi catarrho noctu inprimis depluente, molestatus, memoria admodum est violata, cui occasionem